

Anselmus Cantuariensis

## **Proslogion**

1077 - 1078

## Prooemium

Postquam opusculum quoddam velut exemplum meditandi de ratione fidei cogentibus me precibus quorundam fratrum in persona alicuius tacite secum ratiocinando quae nesciat investigantis edidi: considerans illud esse multorum concatenatione contextum argumentorum, coepi mecum quaerere, si forte posset inveniri unum argumentum, quod nullo alio ad se probandum quam se solo indigeret, et solum ad astruendum quia deus vere est, et quia est summum bonum nullo alio indigens, et quo omnia indigent ut sint et ut bene sint, et quaecumque de divina credimus substantia, sufficeret. Ad quod cum saepe studioseque cogitationem converterem, atque aliquando mihi videretur iam posse capi quod quaerebam, aliquando mentis aciem omnino fugeret: tandem desperans volui cessare velut ab inquisitione rei quam inveniri esset impossibile. Sed cum illam cogitationem, ne mentem meam frustra occupando ab aliis in quibus proficere possem impediret, penitus a me vellem excludere: tunc magis ac magis nolenti et defendenti se coepit cum importunitate quadam ingerere. Cum igitur quadam die vehementer eius importunitati resistendo fatigarer, in ipso cogitationum conflictu sic se obtulit quod desperaveram, ut studiose cogitationem amplecterer, quam sollicitus repellebam.

Aestimans igitur quod me gaudebam invenisse, si scriptum esset, alicui legenti placiturum: de hoc ipso et de quibusdam aliis sub persona conantis erigere mentem suam ad contemplandum deum et quaerentis intelligere quod credit, subditum scripsi opusculum. Et quoniam nec istud nec illud cuius supra memini dignum libri nomine aut cui auctoris praeponeretur nomen iudicabam, nec tamen eadem sine aliquo titulo, quo aliquem in cuius manus venirent quodam modo ad se legendum invitarent, dimittenda putabam: unicuique suum dedi titulum, ut prius «Exemplum meditandi de ratione fidei», et sequens «Fides quaerens intellectum» diceretur.

Sed cum iam a pluribus cum his titulis utrumque transcriptum esset, coegerunt me plures et maxime reverendus archiepiscopus Lugdunensis, Hugo nomine, fungens in Gallia legatione Apostolica, qui mihi hoc ex Apostolica praecepit auctoritate, ut nomen meum illis praescriberem. Quod ut aptius fieret, illud quidem «Monologion», id est soliloquium, istud vero «Proslogion», id est alloquium, nominavi.

**Capitulum I**  
**Excitatio mentis ad**  
**contemplandum deum.**

Eia nunc, homuncio, fuge paululum occupationes tuas, absconde te modicum a tumultuosis cogitationibus tuis. Abice nunc onerosas curas, et postpone laboriosas distentiones tuas. Vaca aliquantulum deo, et requiesce aliquantulum in eo. «Intra in cubiculum» mentis tuae, exclude omnia praeter deum et quae te iuvent ad quaerendum eum, et «clauso ostio» quaere eum. Dic nunc, totum «cor meum», dic nunc deo: «Quaero vultum tuum; vultum tuum, domine, requiro.» Eia nunc ergo tu, domine deus meus, doce cor meum ubi et quomodo te quaerat, ubi et quomodo te inveniatur. Domine, si hic non es, ubi te quaeram absentem? Si autem ubique es, cur non video praesentem? Sed certe habitas «lucem inaccessibilem». Et ubi est lux inaccessibilis? Aut quomodo accedam ad lucem inaccessibilem? Aut quis me ducet et inducet in illam, ut videam te in illa? Deinde quibus signis, qua facie te quaeram? Numquam te vidi, domine deus meus, non novi faciem tuam. Quid faciet, altissime domine, quid faciet iste tuus longinquus exsul? Quid faciet servus tuus anxius amore tui et longe proiectus «a facie tua»? Anhelat videre te, et nimis abest illi facies tua. Accedere ad te desiderat, et inaccessibilis est habitatio tua. Invenire te cupit, et nescit locum tuum. Quaerere te affectat, et ignorat vultum tuum. Domine, deus meus es, et dominus meus es, et numquam te vidi. Tu me fecisti et refecisti, et omnia mea bona tu mihi contulisti, et nondum novi te. Denique ad te videndum factus sum, et nondum feci propter quod factus sum.

O misera sors hominis, cum hoc perdidit ad quod factus est. O durus et dirus casus ille! Heu, quid perdidit et quid invenit, quid abscessit et quid remansit! Perdidit beatitudinem ad quam factus est, et invenit miseriam propter quam factus non est. Abscessit sine quo nihil felix est, et remansit quod per se non nisi miserum est. «Manducabat» tunc «homo panem angelorum» quem nunc esurit, manducat nunc «panem dolorum», quem tunc nesciebat. Heu publicus luctus hominum, universalis planctus filiorum Adae! Ille ructabat saturitate, nos suspiramus esurie. Ille abundabat, nos mendicamus. Ille feliciter tenebat et misere deseruit, nos infeliciter egemus et miserabiliter desideramus, et heu, vacui remanemus. Cur non nobis custodivit cum facile posset, quo tam graviter careremus? Quare sic nobis obseravit lucem, et obduxit nos tenebris? Ut quid nobis abstulit vitam, et inflixit mortem? Aerumnosi, unde sumus expulsi, quo sumus impulsus! Unde praecipitati, quo obruti! A patria in exilium, a visione dei in caecitatem nostram. A iucunditate immortalitatis in amaritudinem et horrorem mortis. Misera mutatio! De quanto bono in quantum malum! Grave damnum, gravis dolor, grave totum.

Sed heu me miserum, unum de aliis miseris filiis Evae elongatis a deo, quid incepi, quid effeci? Quo tendebam, quo deveni? Ad quid aspirabam, in quibus suspiro? «Quaesivi bona», «et ecce turbatio»! Tendebam in deum, et offendi in me ipsum. Requiem quaerebam in secreto meo, et «tribulationem et dolorem inveni» in intimis meis. Volebam ridere a gaudio mentis meae, et cogor rugire «a gemitu cordis mei». Sperabatur laetitia, et ecce unde densentur suspiria! Et o «tu, domine, usquequo»? «Usquequo, domine, oblivisceris» nos, «usquequo avertis faciem tuam» a nobis? Quando respicies et exaudies nos? Quando illuminabis oculos nostros, et ostendes nobis «faciem tuam»? Quando restitues te nobis? Respice, domine, exaudi, illumina nos, ostende nobis teipsum. Restitue te nobis, ut bene sit nobis, sine quo tam male est nobis. Miserare labores et conatus nostros ad te, qui nihil valemus sine te. Invitas nos, «adiuva nos». Obsecro, domine, ne desperem suspirando, sed respirem sperando. Obsecro, domine, amaricatum est cor meum sua desolatione, indulca illud tua consolatione. Obsecro, domine, esuriens incepi

quaerere te, ne desinam ieiunus de te. Famelicus accessi, ne recedam impastus. Pauper veni ad divitem, miser ad misericordem; ne redeam vacuus et contemptus. Et si «antequam comedam suspiro», da vel post suspiria quod comedam. Domine, incurvatus non possum nisi deorsum aspicere, erige me ut possim sursum intendere. «Iniquitates meae supergressae caput meum» obvolvunt me, «et sicut onus grave» gravant me. Evolve me, exonera me, ne «urgeat puteus» earum «os suum super me». Liceat mihi suspicere lucem tuam, vel de longe, vel de profundo. Doce me quaerere te, et ostende te quaerenti; quia nec quaerere te possum nisi tu doceas, nec invenire nisi te ostendas. Quaeram te desiderando, desiderem quaerendo. Inveniam amando, amem inveniando.

Fateor, domine, et gratias ago, quia creasti in me hanc imaginem tuam, ut tui memor te cogitem, te amem. Sed sic est abolita attritione vitiorum, sic est offuscata fumo peccatorum, ut non possit facere ad quod facta est, nisi tu renoves et reformes eam. Non tento, domine, penetrare altitudinem tuam, quia nullatenus comparo illi intellectum meum; sed desidero aliquatenus intelligere veritatem tuam, quam credit et amat cor meum. Neque enim quaero intelligere ut credam, sed credo ut intelligam. Nam et hoc credo: quia «nisi credidero, non intelligam».

## **Capitulum II** **Quod vere sit deus.**

Ergo, domine, qui das fidei intellectum, da mihi, ut quantum scis expedire intelligam, quia es sicut credimus, et hoc es quod credimus. Et quidem credimus te esse aliquid quo nihil maius cogitari possit. An ergo non est aliqua talis natura, quia «dixit insipiens in corde suo: non est deus»? Sed certe ipse idem insipiens, cum audit hoc ipsum quod dico: «aliquid quo maius nihil cogitari potest», intelligit quod audit; et quod intelligit in intellectu eius est, etiam si non intelligat illud esse. Aliud enim est rem esse in intellectu, aliud intelligere rem esse. Nam cum pictor praecogitat quae facturus est, habet quidem in intellectu, sed nondum intelligit esse quod nondum fecit. Cum vero iam pinxit, et habet in intellectu et intelligit esse quod iam fecit. Convincitur ergo etiam insipiens esse vel in intellectu aliquid quo nihil maius cogitari potest, quia hoc cum audit intelligit, et quidquid intelligitur in intellectu est. Et certe id quo maius cogitari nequit, non potest esse in solo intellectu. Si enim vel in solo intellectu est, potest cogitari esse et in re, quod maius est. Si ergo id quo maius cogitari non potest, est in solo intellectu: id ipsum quo maius cogitari non potest, est quo maius cogitari potest. Sed certe hoc esse non potest. Existit ergo procul dubio aliquid quo maius cogitari non valet, et in intellectu et in re.

## **Capitulum III** **Quod non possit** **cogitari non esse.**

Quo utique sic vere est, ut nec cogitari possit non esse. Nam potest cogitari esse aliquid, quod non possit cogitari non esse; quod maius est quam quod non esse cogitari potest. Quare si id quo maius nequit cogitari, potest cogitari non esse: id ipsum quo maius cogitari nequit, non est id quo maius cogitari nequit; quod convenire non potest. Sic ergo vere est aliquid quo maius cogitari non potest, ut nec cogitari possit non esse.

Et hoc es tu, domine deus noster. Sic ergo vere es, domine deus meus, ut nec cogitari possis non esse. Et merito. Si enim aliqua mens posset cogitare aliquid melius te, ascenderet creatura super creatorem, et iudicaret de creatore; quod valde est absurdum. Et quidem quidquid est aliud praeter te solum, potest cogitari non esse. Solus igitur verissime omnium, et ideo maxime omnium habes esse: quia quidquid aliud est non sic vere, et idcirco minus habet esse. Cur itaque «dixit insipiens in corde suo: non est deus», cum tam in promptu sit rationali menti te maxime omnium esse? Cur, nisi quia stultus et insipiens?

#### **Capitulum IV** **Quomodo insipiens dixit in corde,** **quod cogitari non potest.**

Verum quomodo dixit in corde quod cogitare non potuit; aut quomodo cogitare non potuit quod dixit in corde, cum idem sit dicere in corde et cogitare? Quod si vere, immo quia vere et cogitavit quia dixit in corde, et non dixit in corde quia cogitare non potuit: non uno tantum modo dicitur aliquid in corde vel cogitatur. Aliter enim cogitatur res cum vox eam significans cogitatur, aliter cum id ipsum quod res est intelligitur. Illo itaque modo potest cogitari deus non esse, isto vero minime. Nullus quippe intelligens id quod deus est, potest cogitare quia deus non est, licet haec verba dicat in corde, aut sine ulla aut cum aliqua extranea significatione. Deus enim est id quo maius cogitari non potest. Quod qui bene intelligit, utique intelligit id ipsum sic esse, ut nec cogitatione queat non esse. Qui ergo intelligit sic esse deum, nequit eum non esse cogitare. Gratias tibi, bone domine; gratias tibi, quia quod prius credidi te donante, iam sic intelligo te illuminante, ut si te esse nolim credere, non possim non intelligere.

#### **Capitulum V** **Quod deus sit quidquid melius est** **esse quam non esse; et solus existens** **per se omnia alia faciat de nihilo.**

Quid igitur es, domine deus, quo nil maius valet cogitari? Sed quid es nisi id quod summum omnium solum existens per seipsum, omnia alia fecit de nihilo? Quidquid enim hoc non est, minus est quam cogitari possit. Sed hoc de te cogitari non potest. Quod ergo bonum deest summo bono, per quod est omne bonum? Tu es itaque iustus, verax, beatus, et quidquid melius est esse quam non esse. Melius namque est esse iustum quam non iustum, beatum quam non beatum.

#### **Capitulum VI** **Quomodo sit sensibilis,** **cum non sit corpus.**

Verum cum melius sit esse sensibilem, omnipotentem, misericordem, impassibilem quam non esse: quomodo es sensibilis, si non es corpus; aut omnipotens, si omnia non potes; aut misericors simul et impassibilis? Nam si sola corporea sunt sensibilia, quoniam sensus circa corpus et in

corpore sunt: quomodo es sensibilis, cum non sis corpus sed summus spiritus, qui corpore melior est?

Sed si sentire non nisi cognoscere aut non nisi ad cognoscendum est - qui enim sentit cognoscit secundum sensuum proprietatem, ut per visum colores, per gustum sapes -: non inconvenienter dicitur aliquo modo sentire, quidquid aliquo modo cognoscit. Ergo domine, quamvis non sis corpus, vere tamen eo modo summe sensibilis es, quo summe omnia cognoscis, non quo animal corporero sensu cognoscit.

## **Capitulum VII** **Quomodo sit omnipotens,** **cum multa non possit.**

Sed et omnipotens quomodo es, si omnia non potes? Aut si non potes corrumpi nec mentiri nec facere verum esse falsum, ut quod factum est non esse factum, et plura similiter: quomodo potes omnia?

An haec posse non est potentia, sed impotentia? Nam qui haec potest, quod sibi non expedit et quod non debet potest. Quae quanto magis potest, tanto magis adversitas et perversitas possunt in illum, et ipse minus contra illas. Qui ergo sic potest, non potentia potest, sed impotentia. Non enim ideo dicitur posse, quia ipse possit, sed quia sua impotentia facit aliud in se posse; sive aliquo alio genere loquendi, sicut multa improprie dicuntur. Ut cum ponimus «esse» pro «non esse», et «facere» pro eo quod est «non facere», aut pro «nihil facere». Nam saepe dicimus ei qui rem aliquam esse negat: sic est quemadmodum dicis esse, cum magis proprie videatur dici: sic non est quemadmodum dicis non esse. Item dicimus: iste sedet sicut ille facit, aut: iste quiescit sicut ille facit, cum «sedere» sit quiddam non facere et «quiescere» sit nihil facere. Sic itaque cum quis dicitur habere potentiam faciendi aut patiendi quod sibi non expedit aut quod non debet, impotentia intelligitur per potentiam; quia quo plus habet hanc potentiam, eo adversitas et perversitas in illum sunt potentiores, et ille contra eas impotentior. Ergo domine deus, inde verius es omnipotens, quia nihil potes per impotentiam, et nihil potest contra te.

## **Capitulum VIII** **Quomodo sit misericors** **et impassibilis.**

Sed et misericors simul et impassibilis quomodo es? Nam si es impassibilis, non compateris; si non compateris, non est tibi miserum cor ex compassione miseri, quod est esse misericordem. At si non es misericors, unde miseris est tanta consolatio?

Quomodo ergo es et non es misericors, domine, nisi quia es misericors secundum nos, et non es secundum te? Es quippe secundum nostrum sensum, et non es secundum tuum. Etenim cum tu respicis nos miseros, nos sentimus misericordis effectum, tu non sentis affectum. Et misericors es igitur, quia miseros salvas et peccatoribus tuis parcis; et misericors non es, quia nulla miseriae compassione afficeris.

**Capitulum IX**  
**Quomodo totus iustus et**  
**summe iustus parcat malis;**  
**et quod iuste misereatur malis.**

Verum malis quomodo parcis, si es totus iustus et summe iustus? Quomodo enim totus et summe iustus facit aliquid non iustum? Aut quae iustitia est merenti mortem aeternam dare vitam sempiternam? Unde ergo, bone deus, bone bonis et malis, unde tibi salvare malos, si hoc non est iustum, et tu non facis aliquid non iustum?

An quia bonitas tua est incomprehensibilis, latet hoc in luce inaccessiblei quam inhabitas? Vere in altissimo et secretissimo bonitatis tuae latet fons, unde manat fluvius misericordiae tuae. Nam cum totus et summe iustus sis, tamen idcirco etiam malis benignus es, quia totus summe bonus es. Minus namque bonus esses, si nulli malo esses benignus. Melior est enim qui et bonis et malis bonus est, quam qui bonis tantum est bonus. Et melior est qui malis et puniendo et parcendo est bonus, quam qui puniendo tantum. Ideo ergo misericors es, quia totus et summe bonus es. Et cum forsitan videatur, cur bonis bona et malis mala retribuas, illud certe penitus est mirandum, cur tu totus iustus et nullo egens malis et reis tuis bona tribuas. O altitudo bonitatis tuae, deus! et videtur unde sis misericors, et non pervidetur. Cernitur unde flumen manat, et non perspicitur fons unde nascatur. Nam et de plenitudine bonitatis est quia peccatoribus tuis pius es, et in altitudine bonitatis latet qua ratione hoc es. Etenim licet bonis bona et malis mala ex bonitate retribuas, ratio tamen iustitiae hoc postulare videtur. Cum vero malis bona tribuis: et scitur quia summe bonus hoc facere voluit, et mirum est cur summe iustus hoc velle potuit. O misericordia, de quam opulenta dulcedine et dulci opulentia nobis profluis! O immensitas bonitatis dei, quo affectu amanda es peccatoribus! Iustos enim salvas iustitia comitante, istos vero liberas iustitia damnante. Illos meritis adiuvantibus, istos meritis repugnantibus. Illos bona quae dedisti cognoscendo, istos mala quae odisti ignoscendo. O immensa bonitas, quae sic omnem intellectum excedis, veniat super me misericordia illa, quae de tanta opulentia tui procedit! Influat in me, quae profluit de te! Parce per clementiam, ne ulciscaris per iustitiam! Nam etsi difficile sit intelligere, quomodo misericordia tua non absit a tua iustitia, necessarium tamen est credere, quia nequaquam adversatur iustitiae quod exundat ex bonitate, quae nulla est sine iustitia, immo vere concordat iustitiae. Nempe si misericors es quia es summe bonus, et summe bonus non es nisi quia es summe iustus: vere idcirco es misericors, quia summe iustus es. Adiuvam me, iuste et misericors deus, cuius lucem quaero, adiuvam me, ut intelligam quod dico. Vere ergo ideo misericors es, quia iustus.

Ergone misericordia tua nascitur ex iustitia tua? Ergone parcis malis ex iustitia? Si sic est, domine, si sic est, doce me quomodo est. An quia iustum est te sic esse bonum, ut nequeas intelligi melior, et sic potenter operari, ut non possis cogitari potentius? Quid enim hoc iustius? Hoc utique non fieret, si esses bonus tantum retribuendo et non parcendo, et si faceres de non bonis tantum bonos, et non etiam de malis. Hoc itaque modo iustum est ut parcas malis, et ut facias bonos de malis. Denique quod non iuste fit, non debet fieri; et quod non debet fieri, iniuste fit. Si ergo non iuste malis misereris, non debes misereri: et si non debes misereri, iniuste misereris. Quod si nefas est dicere, fas est credere te iuste misereri malis.

**Capitulum X**  
**Quomodo iuste puniat**  
**et iuste parcat malis.**

Sed et iustum est, ut malos punias. Quid namque iustius, quam ut boni bona et mali mala recipiant? Quomodo ergo et iustum est ut malos punias, et iustum est ut malis parcas? An alio modo iuste punis malos, et alio modo iuste parcis malis? Cum enim punis malos, iustum est, quia illorum meritis convenit; cum vero parcis malis, iustum est, non quia illorum meritis, sed quia bonitati tuae condecens est. Nam parcendo malis ita iustus es secundum te et non secundum nos, sicut misericors es secundum nos et non secundum te. Quoniam salvando nos quos iuste perderes, sicut misericors es non quia tu sentias affectum, sed quia nos sentimus effectum: ita iustus es non quia nobis reddas debitum, sed quia facis quod decet te summe bonum. Sic itaque sine repugnantia iuste punis et iuste parcis.

**Capitulum XI**  
**Quomodo «universae viae domini misericordia**  
**et veritas», et tamen «iustus**  
**dominus in omnibus viis suis».**

Sed numquid etiam non est iustum secundum te, domine, ut malos punias? Iustum quippe est te sic esse iustum, ut iustior nequeas cogitari. Quod nequaquam esses, si tantum bonis bona, et non malis mala redderes. Iustior enim est qui et bonis et malis, quam qui bonis tantum merita retribuit. Iustum igitur est secundum te, iuste et benigne deus, et cum punis et cum parcis. Vere igitur «universae viae domini misericordia et veritas», et tamen «iustus dominus in omnibus viis suis». Et utique sine repugnantia; quia quos vis punire, non est iustum salvari, et quibus vis parcere, non est iustum damnari. Nam id solum iustum est quod vis, et non iustum quod non vis. Sic ergo nascitur de iustitia tua misericordia tua, quia iustum est te sic esse bonum, ut et parcendo sis bonus. Et hoc est forsitan, cur summe iustus potest velle bona malis. Sed si utcumque capi potest, cur malos potes velle salvare: illud certe nulla ratione comprehendi potest, cur de similibus malis hos magis salves quam illos per summam bonitatem, et illos magis damnes quam istos per summam iustitiam.

Sic ergo vere es sensibilis, omnipotens, misericors et impassibilis, quemadmodum vivens, sapiens, bonus, beatus, aeternus, et quidquid melius est esse quam non esse.

**Capitulum XII**  
**Quod deus sit ipsa vita qua**  
**vivit, et sic de similibus.**

Sed certe quidquid es, non per aliud es quam per teipsum. Tu es igitur ipsa vita qua vivis, et sapientia qua sapis, et bonitas ipsa qua bonis et malis bonus es; et ita de similibus.



**Capitulum XIII**  
**Quomodo solus sit incircumscriptus**  
**et aeternus, cum alii spiritus**  
**sint incircumscripti et aeterni.**

Sed omne quod clauditur aliquatenus loco aut tempore, minus est quam quod nulla lex loci aut temporis coerces. Quoniam ergo maius te nihil est, nullus locus aut tempus te cohibet, sed ubique et semper es. Quod quia de te solo dici potest, tu solus incircumscriptus es et aeternus. Quomodo igitur dicuntur et alii spiritus incircumscripti et aeterni?

Et quidem solus es aeternus, quia solus omnium sicut non desinis, sic non incipis esse. Sed solus quomodo es incircumscriptus? An creatus spiritus ad te collatus est circumscriptus, ad corpus vero incircumscriptus? Nempe omnino circumscriptum est, quod cum alicubi totum est, non potest simul esse alibi; quod de solis corporeis cernitur. Incircumscriptum vero, quod simul est ubique totum; quod de te solo intelligitur. Circumscriptum autem simul et incircumscriptum est, quod cum alicubi sit totum, potest simul esse totum alibi, non tamen ubique; quod de creatis spiritibus cognoscitur. Si enim non esset anima tota in singulis membris sui corporis, non sentiret tota in singulis. Tu ergo, domine, singulariter es incircumscriptus et aeternus, et tamen et alii spiritus sunt incircumscripti et aeterni.

**Capitulum XIV**  
**Quomodo et cur videtur et non**  
**videtur deus a quaerentibus eum.**

An invenisti, anima mea, quod quaerebas? Quaerebas deum, et invenisti eum esse quiddam summum omnium, quo nihil melius cogitari potest, et hoc esse ipsam vitam, lucem, sapientiam, bonitatem, aeternam beatitudinem et beatam aeternitatem; et hoc esse ubique et semper. Nam si non invenisti deum tuum: quomodo est ille hoc quod invenisti, et quod illum tam certa veritate et vera certitudine intellexisti? Si vero invenisti: quid est, quod non sentis quod invenisti? Cur non te sentit, domine deus, anima mea, si invenit te?

An non invenit, quem invenit esse lucem et veritatem? Quomodo namque intellexit hoc, nisi videndo lucem et veritatem? Aut potuit omnino aliquid intelligere de te, nisi per «lucem tuam et veritatem tuam»? Si ergo vidit lucem et veritatem, vidit te. Si non vidit te, non vidit lucem nec veritatem. An et veritas et lux est quod vidit, et tamen nondum te vidit, quia vidit te aliquatenus, sed non vidit te sicuti es?

Domine deus meus, formator et reformator meus, dic desideranti animae meae, quid aliud es, quam quod vidit, ut pure videat, quod desiderat. Intendit se ut plus videat, et nihil videt ultra hoc quod vidit nisi tenebras; immo non videt tenebras, quae nullae sunt in te, sed videt se non plus posse videre propter tenebras suas. Cur hoc, domine, cur hoc? Tenebratur oculus eius infirmitate sua, aut reverberatur fulgore tuo? Sed certe et tenebratur in se, et reverberatur a te. Utique et obscuratur sua brevitate, et obruitur tua immensitate. Vere et contrahitur angustia sua, et vincitur amplitudine tua. Quanta namque est lux illa, de qua micat omne verum quod rationali menti lucet! Quam ampla est illa veritas, in qua est omne quod verum est, et extra quam non nisi nihil et falsum est! Quam immensa est, quae uno intuitu videt quaecumque facta sunt, et a quo et per quem et quomodo de nihilo facta sunt! Quid puritatis, quid simplicitatis, quid certitudinis et splendoris ibi est! Certe plus quam a creatura valeat intelligi.

**Capitulum XV**  
**Quod maior sit**  
**quam cogitari possit.**

Ergo domine, non solum es quo maius cogitari nequit, sed es quiddam maius quam cogitari possit. Quoniam namque valet cogitari esse aliquid huiusmodi: si tu non es hoc ipsum, potest cogitari aliquid maius te; quod fieri nequit.

**Capitulum XVI**  
**Quod haec sit «lux**  
**inaccessibilis, quam inhabitat»**

Vere, domine, haec est lux inaccessibleis, in qua habitas. Vere enim non est aliud quod hanc penetret, ut ibi te pervideat. Vere ideo hanc non video, quia nimia mihi est; et tamen quidquid video, per illam video, sicut infirmus oculus quod videt per lucem solis videt, quam in ipso sole nequit aspicere. Non potest intellectus meus ad illam. Nimis fulget, non capit illam, nec suffert oculus animae meae diu intendere in illam. Reverberatur fulgore, vincitur amplitudine, obruitur immensitate, confunditur capacitate. O summa et inaccessibleis lux, o tota et beata veritas, quam longe es a me, qui tam prope tibi sum! Quam remota es a conspectu meo, qui sic praesens sum conspectui tuo! Ubique es tota praesens, et non te video. In te moveor et in te sum, et ad te non possum accedere. Intra me et circa me es, et non te sentio.

**Capitulum XVII**  
**Quod in deo sit harmonia,**  
**odor, sapor, lenitas,**  
**pulchritudo, suo ineffabili modo.**

Adhuc lates, domine, animam meam in luce et beatitudine tua, et idcirco versatur illa adhuc in tenebris et miseria sua. Circumspicit enim, et non videt pulchritudinem tuam. Auscultat, et non audit harmoniam tuam. Olfacit, et non percipit odorem tuum. Gustat, et non cognoscit saporem tuum. Palpat, et non sentit lenitatem tuam. Habes enim haec, domine deus, in te tuo ineffabili modo, qui ea dedisti rebus a te creatis suo sensibili modo; sed obriguerunt, sed obstupuerunt, sed obstructi sunt sensus animae meae vetusto languore peccati.

**Capitulum XVIII**  
**Quod in deo nec in aeternitate eius,**  
**quae ipse est, nullae sint partes.**

Et iterum ecce turbatio, ecce iterum obviat maeror et luctus quaerenti gaudium et laetitiam! Sperabat iam anima mea satietatem, et ecce iterum obruitur egestate! Affectabam iam comedere, et ecce magis <inchoo> esurire! Conabar assurgere ad lucem dei, et recidi in tenebras meas. Immo non modo cecidi in eas, sed sentio me involutum in eis. Ante cecidi, quam conciperet «me

mater mea». Certe in illis «conceptus sum», et cum earum obvolutione natus sum. Olim certe in illo omnes cecidimus, «in quo omnes» peccavimus. In illo omnes perdidimus, qui facile tenebat et male sibi et nobis perdidit, quod cum volumus quaerere nescimus, cum quaerimus non invenimus, cum invenimus non est quod quaerimus. Adiuva me tu «propter bonitatem tuam, domine». «Quaesivi vultum tuum, vultum tuum, domine, requiram; ne avertas faciem tuam a me». Releva me de me ad te. Munda, sana, acue, «illumina» oculum mentis meae, ut intueatur te. Recolligat vires suas anima mea, et toto intellectu iterum intendat in te, domine. Quid es, domine, quid es, quid te intelliget cor meum? Certe vita es, sapientia es, veritas es, bonitas es, beatitudo es, aeternitas es, et omne verum bonum es. Multa sunt haec, non potest angustus intellectus meus tot uno simul intuitu videre, ut omnibus simul delectetur. Quomodo ergo, domine, es omnia haec? An sunt partes tui, aut potius unumquodque horum est totum quod es? Nam quidquid partibus est iunctum, non est omnino unum, sed quodam modo plura et diversum a seipso, et vel actu vel intellectu dissolvi potest; quae aliena sunt a te quo nihil melius cogitari potest. Nullae igitur partes sunt in te, domine, nec es plura, sed sic es unum quiddam et idem tibi ipsi, ut in nullo tibi ipsi sis dissimilis; immo tu es ipsa unitas, nullo intellectu divisibilis. Ergo vita et sapientia et reliqua non sunt partes tui, sed omnia sunt unum, et unumquodque horum est totum quod es, et quod sunt reliqua omnia. Quoniam ergo nec tu habes partes nec tuae aeternitas quae tu es: nusquam et numquam est pars tua aut aeternitatis tuae, sed ubique totus es, et aeternitas tua tota est semper.

### **Capitulum XIX** **Quod non sit in loco aut tempore,** **sed omnia sint in illo.**

Sed si per aeternitatem tuam fuisti et es et eris, et fuisse non est futurum esse, et esse non est fuisse vel futurum esse: quomodo aeternitas tua tot est semper? An de aeternitate tua nihil praeterit ut iam non sit, nec aliquid futurum est quasi nondum sit? Non ergo fuisti heri aut eris cras, sed heri et hodie et cras es. Immo nec heri nec hodie nec cras es, sed simpliciter es extra omne tempus. Nam nihil aliud est heri et hodie et cras quam in tempore; tu autem, licet nihil sit sine te, non es tamen in loco aut tempore, sed omnia sunt in te. Nihil enim te continet, sed tu contines omnia.

### **Capitulum XX** **Quod sit ante et ultra** **omnia etiam aeterna.**

Tu ergo imples et complecteris omnia, tu es ante et ultra omnia. Et quidem ante omnia es, quia antequam fierent tu es. Ultra omnia vero quomodo es? Qualiter enim es ultra ea quae finem non habebunt? An quia illa sine te nullatenus esse possunt, tu autem nullo modo minus es, etiam si illa redeunt in nihilum? Sic enim quodam modo es ultra illa. An etiam quia illa cogitari possunt habere finem, tu vero nequaquam? Nam sic illa quidem habent finem quodam modo, tu vero nullo modo. Et certe quod nullo modo habet finem, ultra illud est quod aliquo modo finitur. An hoc quoque modo transis omnia etiam aeterna, quia tua et illorum aeternitas tota tibi praesens est,

cum illa nondum habeant de sua aeternitate quod venturum est, sicut iam non habent quod praeteritum est? Sic quippe semper es ultra illa, cum semper ibi sis praesens, seu cum illud semper sit tibi praesens, ad quod illa nondum pervenerunt.

### **Capitulum XXI**

**An hoc sit «saeculum saeculi»  
sive «saecula saeculorum».**

An ergo hoc est «saeculum saeculi» sive «saecula saeculorum»? Sicut enim saeculum temporum continet omnia temporalia, sic tua aeternitas continet etiam ipsa saecula temporum. Quae saeculum quidem est propter indivisibilem unitatem, saecula vero propter interminabilem immensitatem. Et quamvis ita sis magnus, domine, ut omnia sint te plena et sint in te: sic tamen es sine omni spatio, ut nec medium nec dimidium nec ulla pars sit in te.

### **Capitulum XXII**

**Quod solus sit, quod est et qui est.**

Tu solus ergo, domine, es quod es, et tu es qui es. Nam quod aliud est in toto et aliud in partibus, et in quo aliquid est mutabile, non omnino est quod est. Et quod incepit a non esse et potest cogitari non esse, et nisi per aliud subsistat redit in non esse; et quod habet fuisse quod iam non est, et futurum esse quod nondum est: id non est proprie et absolute. Tu vero es quod es, quia quidquid aliquando aut aliquo modo es, hoc totus et semper es.

Et tu es qui proprie et simpliciter es, quia nec habes fuisse aut futurum esse, sed tantum praesens esse, nec potes cogitari aliquando non esse. Et vita es et lux et sapientia et beatitudo et aeternitas et multa huiusmodi bona, et tamen non es nisi unum et summum bonum, tu tibi omnino sufficiens, nullo indigens, quo omnia indigent ut sint, et ut bene sint.

### **Capitulum XXIII**

**Quod hoc bonum sit pariter pater  
et filius et spiritus sanctus;  
et hoc sit unum necessarium,  
quod est omne et totum et solum bonum.**

Hoc bonum es tu, deus pater; hoc est verbum tuum, id est filius tuus. Etenim non potest aliud quam quod es, aut aliquid maius vel minus te esse in verbo quo te ipsum dicis; quoniam verbum tuum sic est verum quomodo tu verax, et idcirco est ipsa veritas sicut tu, non alia quam tu; et sic es tu simplex, ut de te non possit nasci aliud quam quod tu es. Hoc ipsum est amor unus et communis tibi et filio tuo, id est sanctus spiritus ab utroque procedens. Nam idem amor non est impar tibi aut filio tuo; quia tantum amas te et illum, et ille te et seipsum, quantus es tu et ille; nec est aliud a te et ab illo quod dispar non est tibi et illi; nec de summa simplicitate potest procedere aliud quam quod est de quo procedit. Quod autem est singulus quisque, hoc est tota trinitas simul, pater et filius et spiritus sanctus; quoniam singulus quisque non est aliud quam

summe simplex unitas et summe una simplicitas, quae nec multiplicari nec aliud et aliud esse potest.

«Porro unum est necessarium». Porro hoc est illud unum necessarium, in quo est omne bonum, immo quod est omne et unum et totum et solum bonum.

#### **Capitulum XXIV**

##### **Coniectatio, quale et quantum sit hoc bonum.**

Excita nunc, anima mea, et erige totum intellectum tuum, et cogita quantum potes, quale et quantum sit illud bonum. Si enim singula bona delectabilia sunt, cogita intente quam delectabile sit illud bonum, quod continet iucunditatem omnium bonorum; et non qualem in rebus creatis sumus experti, sed tanto differentem quanto differt creator a creatura. Si enim bona est vita creata: quam bona est vita creatrix? Si iucunda est salus facta: quam iucunda est salus quae facit omnem salutem? Si amabilis est sapientia in cognitione rerum conditarum: quam amabilis est sapientia quae omnia condidit ex nihilo? Denique si multae et magnae delectationes sunt in rebus delectabilibus: qualis et quanta delectatio est in illo qui fecit ipsa delectabilia?

#### **Capitulum XXV**

##### **Quae et quanta bonasint fruentibus eo.**

O qui hoc bono fruatur: quid illi erit, et quid illi non erit! Certe quidquid volet erit, et quod nolet non erit. Ibi quippe erunt bona corporis et animae, qualia «nec oculus vidit nec auris audivit nec cor hominis» cogitavit. Cur ergo per multa vagaris, homuncio, quaerendo bona animae tuae et corporis tui? Ama unum bonum, in quo sunt omnia bona, et sufficit. Desidera simplex bonum, quod est omne bonum, et satis est. Quid enim amas, caro mea, quid desideras, anima mea? Ibi est, ibi est quidquid amatis, quidquid desideratis.

Si delectat pulchritudo: «fulgebunt iusti sicut sol». Si velocitas aut fortitudo, aut libertas corporis cui nihil obsistere possit: «erunt similes angelis dei», quia «seminatur corpus animale, et surget corpus spirituale», potestate utique non natura. Si longa et salubris vita: ibi est sana aeternitas et aeterna sanitas, quia «iusti in perpetuum vivent» et «salus iustorum a domino». Si satietas: satiabuntur «cum apparuerit gloria» dei. Si ebrietas: «inebriabuntur ab ubertate domus» dei. Si melodia: ibi angelorum chori concinunt sine fine deo. Si quaelibet non immunda sed munda voluptas: «torrente voluptatis suae potabit eos» deus.

Si sapientia: ipsa dei sapientia ostendet eis seipsam. Si amicitia: diliget deum plus quam seipsos, et invicem tamquam seipsos, et deus illos plus quam illi seipsos; quia illi illum et se et invicem per illum, et ille se et illos per seipsum. Si concordia: omnibus illis erit una voluntas, quia nulla illis erit nisi sola dei voluntas. Si potestas: omnipotentes erunt suae voluntatis ut deus suae. Nam sicut poterit deus quod volet per seipsum, ita poterunt illi quod volent per illum; quia sicut illi non aliud volent quam quod ille, ita ille volet quidquid illi volent; et quod ille volet non poterit non esse. Si honor et divitiae: deus suos servos bonos et fideles supra multa constituet, immo «filii dei» et dii «vocabuntur» et erunt, et ubi erit filius eius, ibi erunt et illi, «heredes quidem dei, coheredes autem Christi». Si vera securitas: certe ita certi erunt numquam et nullatenus ista vel potius istud bonum sibi defuturum, sicut certi erunt se non sua sponte illud

amissuros, nec dilectorem deum illud dilectoribus suis invitis ablatum, nec aliquid deo potentius invitos deum et illos separatum.

Gaudium vero quale aut quantum est, ubi tale ac tantum bonum est? Cor humanum, cor indigens, cor expertum aerumnas immo obrutum aerumnis: quantum gauderes, si his omnibus abundares? Interroga intima tua, si capere possint gaudium suum de tanta beatitudine sua. Sed certe si quis alius, quem omnino sicut teipsum diligeres, eandem beatitudinem haberet, duplicaretur gaudium tuum, quia non minus gauderes pro eo quam pro teipso. Si vero duo vel tres vel multo plures idipsum haberent, tantundem pro singulis quantum pro teipso gauderes, si singulos sicut teipsum amares. Ergo in illa perfecta caritate innumerabilium beatorum angelorum et hominum, ubi nullus minus diligit alium quam seipsum, non aliter gaudebit quisque pro singulis aliis quam pro seipso. Si ergo cor hominis de tanto suo bono vix capiet gaudium suum: quomodo capax erit tot et tantorum gaudiorum? Et utique quoniam quantum quisque diligit aliquem, tantum de bono eius gaudet: sicut in illa perfecta felicitate unusquisque plus amabit sine comparatione deum quam se et omnes alios secum, ita plus gaudebit absque existimatione de felicitate dei quam de sua et omnium aliorum secum. Sed si deum sic diligent toto corde, tota mente, tota anima, ut tamen totum cor, tota mens, tota anima non sufficiat dignitati dilectionis: profecto sic gaudebunt toto corde, tota mente, tota anima, ut totum cor, tota mens, tota anima non sufficiat plenitudini gaudii.

## Capitulum XXVI

### An hoc sit «gaudium plenum», quod promittit dominus.

Deus meus et dominus meus, spes mea et gaudium cordis mei, dic animae meae, si hoc est gaudium de quo nobis dicis per filium tuum: «petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum». Inveni namque gaudium quoddam plenum, et plus quam plenum. Pleno quippe corde, plena mente, plena anima, pleno toto homine gaudio illo: adhuc supra modum supererit gaudium. Non ergo totum illud gaudium intrabit in gaudentes, sed toti gaudentes intrabunt in gaudium. Dic, domine, dic servo tuo intus in corde suo, si hoc est gaudium, in quod intrabunt servi tui, qui intrabunt «in gaudium domini» sui. Sed gaudium illud certe quo gaudebunt electi tui, «nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit». Nondum ergo dixi aut cogitavi, domine, quantum gaudebunt illi beati tui. Utique tantum gaudebunt, quantum amabunt; tantum amabunt, quantum cognoscent. Quantum te cognoscent, domine, tunc, et quantum te amabunt? Certe «nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit» in hac vita, quantum te cognoscent et amabunt in illa vita.

Oro, deus, cognoscam te, amem te, ut gaudeam de te. Et si non possum in hac vita ad plenum, vel proficiam in dies usque dum veniat illud ad plenum. Proficiat hic in me notitia tui, et ibi fiat plena; crescat amor tuus, et ibi sit plenus: ut hic gaudium meum sit in spe magnum, et ibi sit in re plenum. Domine, per filium tuum iubes immo consulis petere et promittis accipere, «ut gaudium» nostrum «plenum sit». Peto, domine, quod consulis per admirabilem consiliarium nostrum; accipiam quod promittis per veritatem tuam, «ut gaudium» meum «plenum sit». Deus verax, peto accipiam, «ut gaudium» meum «plenum sit». Meditetur interim inde mens mea, loquatur inde lingua mea. Amet illud cor meum, sermocinetur os meum. Esuriat illud anima mea, sitiatur caro mea, desideret tota substantia mea, donec intrem «in gaudium domini» mei, «qui est» trinus et unus deus «benedictus in saecula. Amen».

## Obiectiones Gaunilonis

### *Quid ad haec respondeat quidam pro insipiente*

(1) Dubitanti, utrum sit, vel neganti, quod sit aliqua talis natura, «qua nihil maius cogitari possit», cum esse illam hinc dicitur primo probari, quod ipse negans vel ambigens de illa iam habeat eam in intellectu, cum audiens illam dici id, quod dicitur, intelligit, deinde quia, quod intelligit, necesse est, ut non in solo intellectu, sed etiam in re sit - et hoc ita probatur, quia maius est esse et in re quam in solo intellectu, et si illud in solo est intellectu, maius illo erit, quidquid etiam in re fuerit, ac sic «maius omnibus» minus erit aliquo et non erit «maius omnibus», quod utique repugnat, et ideo necesse est, ut «maius omnibus», quod esse iam probatum est in intellectu, non in solo intellectu, sed et in re sit, quoniam aliter «maius omnibus» esse non poterit -, respondere forsitan potest:

(2) Quod hoc iam esse dicitur in intellectu meo non ob aliud, nisi quia id, quod dicitur, intelligo: Nonne et quaecumque falsa ac nullo prorsus modo in se ipsis existentia in intellectu habere similiter dici possem, cum ea dicente aliquo, quaecumque ille diceret, ego intelligerem? Nisi forte tale illud constat esse, ut non eo modo, quo etiam falsa quaeque vel dubia, haberi possit in cogitatione, et ideo non dicor illud auditum cogitare vel in cogitatione habere, sed intelligere et in intellectu habere, quia scilicet non possim hoc aliter cogitare nisi intelligendo, id est scientia comprehendendo, re ipsa illud existere. Sed si hoc est, primo quidem non hic erit iam aliud idemque tempore praecedens habere rem in intellectu et aliud idque tempore sequens intelligere rem esse, ut fit de pictura, quae prius est in animo pictoris, deinde in opere. Deinde vix umquam poterit esse credibile, cum dictum et auditum fuerit istud, non eo modo posse cogitari non esse, quo etiam potest non esse deus. Nam si non potest - cur contra negantem aut dubitantem, quod sit aliqua talis natura, tota ista disputatio est assumpta? Postremo, quod tale sit illud, ut non possit nisi mox cogitatum indubitabilis existentiae suae certo percipi intellectu, indubio aliquo probandum mihi est argumento, non autem isto, quod iam sit hoc in intellectu meo, cum auditum intelligo; in quo similiter esse posse quaecumque alia incerta vel etiam falsa ab aliquo, cuius verba intelligerem, dicta adhuc puto, et insuper magis, si illa deceptus, ut saepe fit, crederem, qui istud nondum credo.

(3) Unde nec illud exemplum de pictore picturam, quam facturus est, iam in intellectu habente satis potest huic argumento congruere. Illa enim pictura, antequam fiat, in ipsa pictoris arte habetur, et tale quippiam in arte artificis alicuius nihil est aliud quam pars quaedam intelligentiae ipsius, quia et, sicut sanctus Augustinus ait, «cum faber arcam facturus in opere prius habet illam in arte; arca, quae fit in opere, non est vita; arca, quae est in arte, vita est, quia vivit anima artificis, in qua sunt ista omnia, antequam proferantur». Ut quid enim in vivente artificis anima vita sunt ista, nisi quia nil sunt aliud quam scientia vel intelligentia animae ipsius? At vero quidquid extra illa, quae ad ipsam mentis noscuntur pertinere naturam, aut auditum aut excogitatum intellectu percipitur verum, aliud sine dubio est verum illud, aliud intellectus ipse, quo capitur. Quocirca etiamsi verum sit esse aliquid, «quo maius

quicquam nequeat cogitari», non tamen hoc auditum et intellectum tale est, qualis nondum facta pictura in intellectu pictoris.

(4) Huc accedit illud, quod praetaxatum est superius, quia scilicet illud «omnibus, quae cogitari possint, maius», quod nihil aliud posse esse dicitur quam ipse deus, tam ego secundum rem vel ex specie mihi vel ex genere notam cogitare auditum vel in intellectu habere non possum quam nec ipsum deum, quem utique ob hoc ipsum etiam non esse cogitare possum. Neque enim aut rem ipsam novi aut ex alia possum conicere simili, quandoquidem et tu talem asseris illam, ut esse non possit simile quicquam. Nam si de homine aliquo mihi prorsus ignoto, quem etiam esse nescirem, dici tamen aliquid audirem, per illam specialem generalemve notitiam, qua, quid sit homo vel homines, novi, de illo quoque secundum rem ipsam, quae est homo, cogitare possem. Et tamen fieri posset, ut mentiente illo, qui diceret, ipse, quem cogitarem, homo non esset; cum tamen ego de illo secundum veram nihilominus rem, non quae esset ille homo, sed quae est homo quilibet, cogitarem; nec sic igitur, ut haberem falsum istud in cogitatione vel in intellectu, habere possum illud, cum audio dici «deus» aut «aliquid omnibus maius», cum, quando illud secundum rem veram mihi que notam cogitare possem, istud omnino nequeam nisi tantum secundum vocem, secundum quam solam aut vix aut numquam potest ullum cogitari verum. Siquidem cum ita cogitatur, non tam vox ipsa, quae res est utique vera, hoc est litterarum sonus vel syllabarum, quam vocis auditae significatio cogitetur, sed non ita, ut ab illo, qui novit, quid ea soleat voce significari, a quo scilicet cogitatur secundum rem vel in sola cogitatione veram, verum ut ab eo, qui illud non novit et solummodo cogitat secundum animi motum illius auditu vocis effectum significationemque perceptae vocis conantem effingere sibi. Quod mirum est, si umquam rei veritate potuerit. Ita ergo nec prorsus aliter adhuc in intellectu meo constat illud haberi, cum audio intelligoque dicentem esse aliquid «maius omnibus, quae valeant cogitari». Haec de eo, quod summa illa natura iam esse dicitur in intellectu meo!

(5) Quod autem et in re necessario esse inde mihi probatur, quia, nisi fuerit, quidquid est in re, maius illa erit ac per hoc non erit illud «maius omnibus», quod utique iam esse probatum est in intellectu, ad hoc respondeo: Si esse dicendum est in intellectu, quod secundum veritatem cuiusquam rei nequit saltem cogitari, et hoc in meo sic esse non denego. Sed quia per hoc esse quoque in re non potest ullatenus obtinere, illud ei esse adhuc penitus non concedo, quousque mihi argumento probetur indubio. Quod qui esse dicit hoc, quod «maius omnibus» aliter non erit «omnibus maius», non satis attendit, cui loquatur. Ego enim nondum dico, immo etiam nego vel dubito ulla re vera esse «maius» illud, nec aliud ei esse concedo quam illud - si dicendum est «esse» -, cum secundum vocem tantum auditam rem prorsus ignotam sibi conatur animus effingere. Quomodo igitur inde mihi probatur «maius» illud rei veritate subsistere, quia constet illud maius omnibus esse, cum id ego eo usque negem adhuc dubitemve constare, ut ne in intellectu quidem vel cogitatione mea eo saltem modo maius ipsum esse dicam, quo dubia etiam multa sunt et incerta? Prius enim certum mihi necesse est fiat re vera esse alicubi «maius» ipsum, et tum demum ex eo, quod maius est omnibus, in se ipso quoque subsistere non erit ambiguum.



Exempli gratia: Aiunt quidam alicubi oceani esse insulam, quam ex difficultate vel potius impossibilitate inveniendi, quod non est, cognominant aliqui «perditam» quamque fabulantur multo amplius, quam de fortunatis insulis fertur, divitiarum deliciarumque omnium inaestimabili ubertate pollere nulloque possessore aut habitatore universis aliis, quas incolunt homines, terris possidendorum redundantia usquequaque praestare. Hoc ita esse dicat mihi quispiam, et ego facile dictum, in quo nihil est difficultatis, intelligam. At si tunc velut consequenter adiungat ac dicat: Non potes ultra dubitare insulam illam terris omnibus praestantiorē vere esse alicubi in re, quam et in intellectu tuo non ambigis esse; et quia praestantius est non in intellectu solo, sed etiam esse in re, ideo sic eam necesse est esse, quia, nisi fuerit, quaecumque alia in re est terra, praestantior illa erit, ac sic ipsa iam a te praestantior intellecta praestantior non erit - si, inquam, per haec ille mihi velit astruere de insula illa, quod vere sit, ambigendum ultra non esse, aut iocari illum credam, aut nescio, quem stultiorē debeam reputare, utrum me, si ei concedam, an illum, si se putet aliqua certitudine insulae illius essentiam astruxisse, nisi prius ipsam praestantiam eius solummodo sicut rem vere atque indubie existentem nec ullatenus sicut falsum aut incertum aliquid in intellectu meo esse docuerit.

Haec interim ad obiecta insipiens ille responderit. Cui cum deinceps asseritur tale esse «maius» illud, ut nec sola cogitatione valeat non esse, et hoc rursus non aliunde probatur quam eo ipso, quod aliter non erit «omnibus maius», idem ipsum possit referre responsum et dicere: Quando enim ego rei veritate esse tale aliquid, hoc est «maius omnibus», dixi, ut ex hoc mihi debeat probari in tantum etiam re ipsa id esse, ut nec possit cogitari non esse? Quapropter certissimo primitus aliquo probandum est argumento aliquam superiorem, hoc est maiorem ac meliorem omnium, quae sunt, esse naturam, ut ex hoc alia iam possimus omnia comprobare, quibus necesse est illud, quod maius ac melius est omnibus, non carere.

Cum autem dicitur, quod summa res ista non esse nequeat cogitari, melius fortasse diceretur, quod non esse aut etiam posse non esse non possit intelligi. Nam secundum proprietatem verbi istius falsa nequeunt intelligi; quae possunt utique eo modo cogitari, quo deum non esse insipiens cogitavit. Et me quoque esse certissime scio, sed et posse non esse nihilominus scio. Summum vero illud, quod est, scilicet deus, et esse et non esse non posse indubitanter intelligo. Cogitare autem me non esse, quamdiu esse certissime scio, nescio, utrum possim. Sed si possum, cur non et quidquid aliud eadem certitudine scio? Si autem non possum, non erit iam istud proprium deo.

Cetera libelli illius tam veraciter et tam praeclare sunt magnificeque disserta, tanta denique referta utilitate et pii ac sancti affectus intimo quodam odore fragrantia, ut nullo modo propter illa, quae in initiis recte quidem sensa, sed minus firmiter argumentata sunt, ista sint contemnenda; sed illa potius argumentanda robustius, ac sic omnia cum ingenti veneratione et laude suscipienda.

**Responsio Anselmi  
ad obiectiones Gaunilonis**

*Quid ad haec respondeat editor ipsius libelli*

Quoniam non me reprehendit in his dictis ille insipiens, contra quem sum locutus in meo opusculo, sed quidam non insipiens et catholicus pro insipiente, sufficere mihi potest respondere catholico.

Dicis quidem, quicumque es, qui dicis haec posse dicere insipientem: quia non est in intellectu aliquid, «quo maius cogitari non possit», aliter, quam quod secundum veritatem cuiusquam rei nequit saltem cogitari, et quia non magis consequitur hoc, quod dico «quo maius cogitari non possit», ex eo, quia est in intellectu, esse et in re, quam perditam insulam certissime existere ex eo, quia, cum describitur verbis, audiens eam non ambigit in intellectu suo esse. Ego vero dico: Si «quo maius cogitari non potest» non intelligitur vel cogitatur nec est in intellectu vel cogitatione, profecto deus aut non est «quo maius cogitari non possit» aut non intelligitur vel cogitatur et non est in intellectu vel cogitatione. Quod quam falsum sit, fide et conscientia tua pro firmissimo utor argumento. Ergo «quo maius cogitari non potest» vere intelligitur et cogitatur et est in intellectu et cogitatione. Quare aut vera non sunt, quibus contra conaris probare, aut ex eis non consequitur, quod te consequenter opinaris concludere.

(1) Quod autem putas ex eo, quia intelligitur aliquid, «quo maius cogitari nequit», non consequi illud esse in intellectu nec, si est in intellectu, ideo esse in re, certe ego dico: Si vel cogitari potest esse, necesse est illud esse. Nam «quo maius cogitari nequit» non potest cogitari esse nisi sine initio. Quidquid autem potest cogitari esse et non est, per initium potest cogitari esse. Non ergo «quo maius cogitari nequit» cogitari potest esse et non est. Si ergo cogitari potest esse, ex necessitate est.

Amplius: Si utique vel cogitari potest, necesse est illud esse. Nullus enim negans aut dubitans esse aliquid, «quo maius cogitari non possit», negat vel dubitat, quia, si esset, nec actu nec intellectu posset non esse. Aliter namque non esset «quo maius cogitari non potest». Sed quidquid cogitari potest et non est, si esset, posset vel actu vel intellectu non esse. Quare si vel cogitari potest, non potest non esse «quo maius cogitari nequit». Sed ponamus non esse, si vel cogitari valet. At quidquid cogitari potest et non est, si esset, non esset «quo maius cogitari non possit». Si ergo esset «quo maius cogitari non possit», non esset «quo maius cogitari non possit», quod nimis est absurdum. Falsum est igitur non esse aliquid, «quo maius cogitari non possit», si vel cogitari potest, multo itaque magis, si intelligi et in intellectu esse potest.

Plus aliquid dicam. Procul dubio quidquid alicubi aut aliquando non est, etiam si est alicubi aut aliquando, potest tamen cogitari numquam et nusquam esse, sicut non est alicubi aut aliquando. Nam quod heri non fuit et hodie est, sicut heri non fuisse intelligitur, ita numquam esse subintelligi potest. Et quod hic non est et alibi est, sicut non est hic, ita potest cogitari nusquam esse. Similiter cuius partes singulae

non sunt, ubi aut quando sunt aliae partes, eius omnes partes et ideo ipsum totum possunt cogitari numquam aut nusquam esse. Nam etsi dicatur tempus semper esse et mundus ubique, non tamen illud totum semper aut iste totus est ubique. Et sicut singulae partes temporis non sunt, quando aliae sunt, ita possunt numquam esse cogitari. Et singulae mundi partes, sicut non sunt, ubi aliae sunt, ita subintelligi possunt nusquam esse. Sed et quod partibus coniunctum est, cogitatione dissolvi et non esse potest.

Quare quidquid alicubi aut aliquando totum non est, etiam si est, potest cogitari non esse. At «quo maius nequit cogitari», si est, non potest cogitari non esse. Alioquin, si est, non est «quo maius cogitari non possit», quod non convenit. Nullatenus ergo alicubi aut aliquando totum non est, sed semper et ubique totum est.

Putasne aliquatenus posse cogitari vel intelligi aut esse in cogitatione vel intellectu, de quo haec intelliguntur? Si enim non potest, non de eo possunt haec intelligi. Quodsi dicis non intelligi et non esse in intellectu, quod non penitus intelligitur, dic, quia, qui non potest intueri purissimam lucem solis, non videt lucem diei, quae non est nisi lux solis! Certe vel hactenus intelligitur et est in intellectu «quo maius cogitari nequit», ut haec de eo intelligantur.

Dixi itaque in argumentatione, quam reprehendis, quia, cum insipiens audit proferri «quo maius cogitari non potest», intelligit, quod audit. Utique qui non intelligit, si nota lingua dicitur, aut nullum aut nimis obrutum habet intellectum.

Deinde dixi, quia, si intelligitur, est in intellectu. An est in nullo intellectu, quod necessario in rei veritate esse monstratum est? Sed dices, quia, etsi est in intellectu, non tamen consequitur, quia intelligitur. Vide, quia consequitur esse in intellectu ex eo, quia intelligitur! Sicut enim quod cogitatur, cogitatione cogitatur, et quod cogitatione cogitatur, sicut cogitatur, sic est in cogitatione, ita quod intelligitur, intellectu intelligitur, et quod intellectu intelligitur, sicut intelligitur, ita est in intellectu. Quid hoc planius?

(2)

Postea dixi, quia, si est vel in solo intellectu, potest cogitari esse et in re, quod maius est. Si ergo in solo est intellectu, id ipsum, scilicet «quo maius non potest cogitari», est, quo maius cogitari potest. Rogo, quid consequentius? An enim, si est vel in solo intellectu, non potest cogitari esse et in re? Aut si potest, nonne, qui hoc cogitat, aliquid cogitat maius eo, si est in solo intellectu? Quid igitur consequentius, quam si «quo maius cogitari nequit» est in solo intellectu, idem esse, quo maius cogitari possit? Sed utique «quo maius cogitari potest» in nullo intellectu est «quo maius cogitari non possit». An ergo non consequitur «quo maius cogitari nequit», si est in ullo intellectu, non esse in solo intellectu? Si enim est in solo intellectu, est, quo maius cogitari potest, quod non convenit.

(3)

Sed tale est, inquis, ac si aliquis insulam oceani omnes terras sua fertilitate vincentem, quae difficultate, immo impossibilitate inveniendi, quod non est, «perdita» nominatur, dicat idcirco non posse dubitari vere esse in re, quia verbis descriptam facile quis intelligit. Fidens loquor, quia, si quis invenerit mihi aut re ipsa aut sola cogitatione existens praeter «quo maius cogitari non possit», cui aptare

valeat connexionem huius meae argumentationis, inveniam et dabo illi perditam insulam amplius non perdendam. Palam autem iam videtur «quo non valet cogitari maius» non posse cogitari non esse, quod tam certa ratione veritatis existit. Aliter enim nullatenus existeret. Denique si quis dicit se cogitare illud non esse, dico, quia, cum hoc cogitat, aut cogitat aliquid, «quo maius cogitari non possit», aut non cogitat. Si non cogitat, non cogitat non esse, quod non cogitat. Si vero cogitat, utique cogitat aliquid, quod nec cogitari possit non esse. Si enim posset cogitari non esse, cogitari posset habere principium et finem. Sed hoc non potest. Qui ergo illud cogitat, aliquid cogitat, quod nec cogitari non esse possit. Hoc vero qui cogitat, non cogitat id ipsum non esse. Alioquin cogitat, quod cogitari non potest. Non igitur potest cogitari non esse «quo maius nequit cogitari».

Quod autem dicis, quia, cum dicitur, quod summa res ista non esse nequeat cogitari, melius fortasse diceretur, quod non esse aut etiam posse non esse non possit intelligi, potius dicendum fuit non posse cogitari. Si enim dixissem rem ipsam non posse intelligi non esse, fortasse tu ipse, qui dicis, quia secundum proprietatem verbi istius falsa nequeunt intelligi, obiceres nihil, quod est, posse intelligi non esse. «Falsum» est enim non esse, quod est. Quare non esse proprium deo non posse intelligi non esse. Quodsi aliquid eorum, quae certissime sunt, potest intelligi non esse, similiter et alia certa non esse posse intelligi. Sed hoc utique non potest obici de cogitatione, si bene consideretur. Nam etsi nulla, quae sunt, possint intelligi non esse, omnia tamen possunt cogitari non esse praeter id, quod summe est. Illa quippe omnia et sola possunt cogitari non esse, quae initium aut finem aut partium habent coniunctionem, et, sicut iam dixi, quidquid alicubi aut aliquando totum non est. Illud vero solum non potest cogitari non esse, in quo nec initium nec finem nec partium coniunctionem et quod non nisi semper et ubique totum ulla invenit cogitatio.

Scito igitur, quia potes cogitare te non esse, quamdiu esse certissime scis! Quod te miror dixisse nescire. Multa namque cogitamus non esse, quae scimus esse, et multa esse, quae non esse scimus; non existimando, sed fingendo ita esse, ut cogitamus. Et quidem possumus cogitare aliquid non esse, quamdiu scimus esse, quia simul et illud possumus et istud scimus. Et non possumus cogitare non esse, quamdiu cogitamus esse, quia non possumus cogitare esse simul et non esse. Si quis igitur sic distinguat huius prolationis has duas sententias, intelliget nihil, quamdiu esse cogitatur, posse cogitari non esse, et quidquid est praeter id, «quo maius cogitari nequit», etiam cum scitur esse, posse non esse cogitari. Sic igitur et proprium est deo non posse cogitari non esse, et tamen multa sunt, quae possunt cogitari, quamdiu sunt, non esse. Quomodo tamen dicatur cogitari deus non esse, in ipso libello puto sufficienter esse dictum.

Qualia vero sint et alia, quae mihi obicis pro insipiente, facile est deprehendere vel parum sapienti, et ideo id ostendere supersedendum existimaveram. Sed quoniam audio quibusdam ea legentibus aliquid contra me valere videri, paucis de illis commemorabo.

Primum, quod saepe repetis me dicere, quia, quod est «maius omnibus», est in

intellectu; si est in intellectu, est et in re - aliter enim «omnibus maius» non esset «omnibus maius» -: Nusquam in omnibus dictis meis invenitur talis probatio. Non enim idem valet, quod dicitur «maius omnibus» et «quo maius cogitari nequit», ad probandum, quia est in re, quod dicitur. Si quis enim dicat «quo maius cogitari non possit» non esse aliquid in re aut posse non esse aut vel non esse posse cogitari, facile refelli potest. Nam quod non est, potest non esse; et quod non esse potest, cogitari potest non esse. Quidquid autem cogitari potest non esse, si est, non est «quo maius cogitari non possit»; quod si non est, utique, si esset, non esset «quo maius non possit cogitari». Sed dici non potest, quia «quo maius non possit cogitari», si est, non est «quo maius cogitari non possit», aut si esset, non esset «quo non possit cogitari maius». Patet ergo, quia nec non est nec potest non esse aut cogitari non esse. Aliter enim, si est, non est, quod dicitur, et si esset, non esset.

Hoc autem non tam facile probari posse videtur de eo, quod «maius» dicitur «omnibus». Non enim ita patet, quia, quod non esse cogitari potest, non est «maius omnibus», quae sunt, sicut quia non est «quo maius cogitari non possit»; nec sic est indubitabile, quia, si est aliquid «maius omnibus», non est aliud quam «quo maius non possit cogitari», aut si esset, non esset similiter aliud, quomodo certum est de eo, quod dicitur «quo maius cogitari nequit». Quid enim, si quis dicat esse aliquid «maius omnibus», quae sunt, et id ipsum tamen posse cogitari non esse, et aliquid maius eo, etiamsi non sit, posse tamen cogitari? An hic sic aperte inferri potest: Non est ergo «maius omnibus», quae sunt, sicut ibi apertissime diceretur: Ergo non est «quo maius cogitari nequit»? Illud namque alio indiget argumento quam hoc, quod dicitur «omnibus maius»; in isto vero non est opus alio quam hoc ipso, quod sonat «quo maius cogitari non possit». Ergo si non similiter potest probari de eo, quod «maius omnibus» dicitur, quod de se per se ipsum probat «quo maius nequit cogitari», iniuste me reprehendisti dixisse, quod non dixi, cum tantum differat ab eo, quod dixi.

Si vero vel post aliud argumentum potest, nec sic me debuisti reprehendere dixisse, quod probari patet. Utrum autem possit, facile perpendit, qui hoc posse «quo maius cogitari nequit» cognoscit. Nullatenus enim potest intelligi «quo maius cogitari non possit» nisi id, quod solum «omnibus est maius». Sicut ergo «quo maius cogitari nequit» intelligitur et est in intellectu et ideo esse in rei veritate asseritur, sic, quod «maius» dicitur «omnibus», intelligi et esse in intellectu et idcirco re ipsa esse ex necessitate concluditur. Vides ergo, quam recte me comparasti stulto illi, qui hoc solo, quod descripta intelligeretur, perditam insulam esse vellet asserere.

(6) Quod autem obicis quaelibet falsa vel dubia similiter posse intelligi et esse in intellectu, quemadmodum illud, quod dicebam, miror, quid hic sensisti contra me dubium probare volentem, cui primum hoc sat erat, ut quolibet modo illud intelligi et esse in intellectu ostenderem, quatenus consequenter consideraretur, utrum esset in solo intellectu, velut falsa, an et in re, ut vera. Nam si falsa et dubia hoc modo intelliguntur et sunt in intellectu, quia, cum dicuntur, audiens intelligit, quid dicens significet, nihil prohibet, quod dixi, intelligi et esse in intellectu. Quomodo autem sibi convenient, quod dicis, quia falsa dicente aliquo, quaecumque ille diceret, intelligeres et quia illud, quod non eo modo, quo etiam falsa, habetur in cogitatione,

non diceris auditum cogitare aut in cogitatione habere, sed intelligere et in intellectu habere, quia scilicet non possis hoc aliter cogitare nisi intelligendo, id est scientia comprehendendo, re ipsa illud existere - quomodo, inquam, convenient et falsa «intelligi» et «intelligere» esse «scientia comprehendere existere aliquid», nil ad me, tu videris. Quodsi et falsa aliquo modo intelliguntur et non omnis, sed cuiusdam intellectus est haec definitio, non debui reprehendi, quia dixi «quo maius cogitari non possit» intelligi et in intellectu esse, etiam antequam certum esset re ipsa illud existere.

(7) Deinde quod dicis vix unquam posse esse credibile, cum dictum et auditum fuerit istud, non eo modo posse cogitari non esse, quo etiam potest cogitari non esse deus, respondeant pro me, qui vel parvam scientiam disputandi argumentandique attigerunt. An enim rationabile est, ut idcirco neget aliquis, quod intelligit, quia esse dicitur id, quod ideo negat, quia non intelligit? Aut si aliquando negatur, quod aliquatenus intelligitur, et idem est illi, quod nullatenus intelligitur - nonne facilius probatur, quod dubium est de illo, quod in aliquo, quam de eo, quod in nullo est intellectu? Quare nec credibile potest esse idcirco quemlibet negare «quo maius cogitari nequit», quod auditum aliquatenus intelligit, quia negat deum, cuius sensum nullo modo cogitat. Aut si et illud, quia non omnino intelligitur, negatur - nonne tamen facilius id, quod aliquo modo, quam id, quod nullo modo intelligitur, probatur? Non ergo irrationabiliter contra insipientem ad probandum deum esse attuli «quo maius cogitari non possit», cum illud nullo modo, istud aliquo modo intelligeret.

(8) Quod vero tam studiose probas «quo maius cogitari nequit» non tale esse, qualis nondum facta pictura in intellectu pictoris, sine causa fit. Non enim ad hoc protuli picturam praecogitatam, ut tale illud, de quo agebatur, vellem asserere, sed tantum, ut aliquid esse in intellectu, quod esse non intelligeretur, possem ostendere. Item quod dicis «quo maius cogitari nequit» secundum rem vel ex genere tibi vel ex specie notam te cogitare auditum vel in intellectu habere non posse, quoniam nec ipsam rem nosti nec eam ex alia simili potes conicere, palam est rem aliter sese habere. Quoniam namque omne minus bonum in tantum est simile maiori bono, in quantum est bonum, patet cuilibet rationabili menti, quia de bonis minoribus ad maiora conscendendo ex iis, quibus aliquid maius cogitari potest, multum possumus conicere illud, «quo nihil potest maius cogitari». Quis enim verbi gratia vel hoc cogitare non potest, etiamsi non credat in re esse, quod cogitat, scilicet si bonum est aliquid, quod initium et finem habet, multo melius esse bonum, quod, licet incipiat, non tamen desinit; et sicut istud illo melius est, ita isto esse melius illud, quod nec finem habet nec initium, etiamsi semper de praeterito per praesens transeat ad futurum; et sive sit in re aliquid huiusmodi sive non sit, valde tamen eo melius esse id, quod nullo modo indiget vel cogitur mutari vel moveri? An hoc cogitari non potest, aut aliquid hoc maius cogitari potest? Aut non est hoc ex iis, quibus maius cogitari valet, conicere id, «quo maius cogitari nequit»? Est igitur, unde possit conici «quo maius cogitari nequeat». Sic itaque facile refelli potest insipiens, qui sacram auctoritatem non recipit, si negat «quo maius cogitari non valet» ex aliis rebus conici posse. At si quis catholicus hoc neget, meminerit, quia «invisibilia dei

a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas».

(9) Sed etsi verum esset non posse cogitari vel intelligi illud, «quo maius nequit cogitari», non tamen falsum esset «quo maius cogitari nequit» cogitari posse et intelligi. Sicut enim nil prohibet dici «ineffabile», licet illud dici non possit, quod «ineffabile» dicitur, et quemadmodum cogitari potest «non cogitabile», quamvis illud cogitari non possit, cui convenit «non cogitabile» dici, ita, cum dicitur «quo nil maius valet cogitari», procul dubio, quod auditur, cogitari et intelligi potest, etiamsi res illa cogitari non valeat aut intelligi, «qua maius cogitari nequit». Nam etsi quisquam est tam insipiens, ut dicat non esse aliquid, «quo maius non possit cogitari», non tamen ita erit impudens, ut dicat se non posse intelligere aut cogitare, quid dicat. Aut si quis talis invenitur, non modo sermo eius est respuendus, sed et ipse conspuendus. Quisquis igitur negat aliquid esse, «quo maius nequeat cogitari», utique intelligit et cogitat negationem, quam facit. Quam negationem intelligere aut cogitare non potest sine partibus eius. Pars autem eius est «quo maius cogitari non potest». Quicumque igitur hoc negat, intelligit et cogitat «quo maius cogitari nequit». Palam autem est, quia similiter potest cogitari et intelligi, quod non potest non esse. Maius vero cogitat, qui hoc cogitat, quam qui cogitat, quod possit non esse. Dum ergo cogitatur «quo maius non possit cogitari», si cogitatur, quod possit non esse, non cogitatur «quo non possit cogitari maius». Sed nequit idem simul cogitari et non cogitari. Quare qui cogitat «quo maius non possit cogitari», non cogitat, quod possit, sed quod non possit non esse. Quapropter necesse est esse, quod cogitat, quia, quidquid non esse potest, non est, quod cogitat.

(10) Puto, quia monstravi me non infirma, sed satis necessaria argumentatione probasse in praefato libello re ipsa existere aliquid, «quo maius cogitari non possit», nec eam alicuius objectionis infirmari firmitate. Tantam enim vim huius prolationis in se continet significatio, ut hoc ipsum, quod dicitur, ex necessitate eo ipso, quod intelligitur vel cogitatur, et revera probetur existere et id ipsum esse, quidquid de divina substantia oportet credere. Credimus namque de divina substantia, quidquid absolute cogitari potest melius esse quam non esse. Verbi gratia melius est esse aeternum quam non aeternum, bonum quam non bonum, immo bonitatem ipsam quam non ipsam bonitatem. Nihil autem huiusmodi non esse potest «quo maius aliquid cogitari non potest». Necesse igitur est «quo maius cogitari non potest» esse, quidquid de divina essentia credi oportet. Gratias ago benignitati tuae et in reprehensione et in laude mei opusculi. Cum enim ea, quae tibi digna susceptione videntur, tanta laude extulisti, satis apparet, quia, quae tibi infirma visa sunt, benevolentia, non malevolentia reprehendisti.